

Monasterio de Canellis extabat membrana, ut ex veteri scripturarum notula deprehendi, in qua sic lego: Charta sicut Priorissa Monasterii de Canellis fecit obedientiam D. Episcopo Aquensi.

Hanc anteriorem seculo XV. fuisse pro certo habeo: nulla enim in præfata chronica de præfata Episcopo obedientia fit, ac proinde merito inter illa documenta recensenda, quæ jurisdictionem Episcopi Aquensis in Alexandrina Monasteria, atque Ecclesias ab hisce dependentes comprobant.

MCCCCXXXIV. col. 395. n. 368. Post hanc Episcopi investituram aliæ quoque a successoribus Episcopis factæ in Tabulario Episcopali asservantur, duas hic memorabo uno eodemque anno ac die scilicet 1451. 7. aug. pro diversis portionibus a Thoma de Regibus Episcopo concessas, alteram D. Batistino M. de Carretto Johannis filio, alteram vero Isnardo ex iisdem Marchionibus.

MCCCCXLIV. col. 402. n. 371. omissa est diei nota, qua hæc litteræ prodierunt, scilicet die XIX. 20 julii.

MCCCCLVI. col. 408. n. 380. Ut quæ in hac charta habentur, intelligi perspicue possint, hæc animadvertenda. Henricus in Episcopatus resignatione Ecclesiæ Aquensi, ejusque Episcopis cessionem fecerat ducatorum 360. & amplius. Hos recepit Bonifacius ejus successor. Bonifacio demortuo Thomas de Regibus tertius ab Henrico Episcopus ab heredibus Bonifacii de Sismondis illam petiit pecuniæ summam, qui diversis temporibus vel solutione, vel accepti la- 30 sione debitum extinxerunt. Primum enim heredes probarunt LXIV. ducatos impensos a Bonifacio Episcopo in jaciendis fundamentis Palatii Episcopalis in platea majori, ubi nunc visuntur Episcopi ac Canoniorum ades, alias in suppellectili sacra pro Ecclesia Cathedrali, ut ex doc. n. 377., dein cessione domus in contrata Archivoti, uti ex doc. n. 380., ac tandem solutione ducat. LXIV. auri ann. MCCCCCLX. die XXIV. nov. ut ex charta Tabul. Episcopalis, qua facta Thomas Episcopus totius debiti remissionis apo- 40 cham heredibus de Sismondis dedit.

MCCCCLVIII. col. 410. n. 384. Erratum est in temporis assignatione. Neque enim ad hunc annum pertinet, cui nec indictio, nec notæ in fine appositæ conveniunt: sed emendandus titulus anni. & ponendus MCCCCLV., adeo ut Constitutiones sub n. 319. præcesserint, & hujusmodi declarationes ac decreta statim fuerint subsequuta, ut horum documentorum contextus ostendit.

Irreperunt etiam Typographi culpa duo alia errata 50 lin. 36 regimini l. regimini. lin. 47. sed l. si.

MCCCCLXXIII. col. 414. n. 385. Dedimus n. 383. litteras Pii II. concedentis facultatem Cremolini conventum ord. Carm. fundandi post aliquot annos actum ab hisce fratribus fuit, ut sibi Ecclesia Parochialis, daretur quod licet eis esset a Pio II. in præcedentibus litteris prohibitum, demum a Sixto IV. impetrarunt. At totius oppidi popularium consensus erat necessarius; & hoc etiam obtentum, quemadmodum ex æstificatione solemniter in publica concione litteris 60 aradita apertum est, quæ sic habet.

MCCCCLXIII.

Inquisitioni factæ a consiliariis communis Cre-

molini adunatis mandato consulum dicti loci in Cappella fabricata per magnificam D. Constantiam Marchionissam de Malaspina, & attributa Reverendissimo ordini B. M. V. de Monte Carmelo per Reverendum D. Fratrem Leonardum ordinis prædicti, & nomine ordinis prædicti, videlicet quod ipsi Consilarii pro evidenti salute animarum omnium personarum dicti loci, ac honore ingenti assentiunt, & esse velint contenti, quod Ecclesia Parochialis dicti loci cum emolumentis suis tribuatur ipsi ordini, & quod de eorum consensu certificent R. D. Aquensem Episcopum, & si expedierit S. Sedem Apostolicam.

Respondetur per ipsos Consiliarios unanimiter, & concorditer uno solo discrepante nomine, & vice dictæ communitatis se se consensuros, quod dicta Ecclesia Parochialis cum emolumentis ejus integre conferatur ordini prædicto, & de eorum consensu, & voluntate per litteras suas opportune prædictum R. P. Episcopum Aquensem pariter, & si expedierit Sedem Apostolicam certificare sub conditionibus infra scriptis.

Et 1. promittendo ipso Fratre Leonardo ipsis Consiliariis nomine, & vice dicti communis, quod dabit operam cum effectu, quod Reverendus D. Frater Antonius de Magnis S. Theologiæ Magister, ac ejusdem Ordinis provincialis, & successores ejus providebunt in perpetuum, quod ad minus tres Fratres dicti ordinis in Sacerdotali ordine constituti perpetuam faciant residentiam in dicto loco Cremolini ministrantibus in divinis officiis, quorum saltem unus intelligat, & bene noscat divina ministeria celebrare, & qui curam exerceat animarum, & serviat opportune dicto communi in divinis ministeriis, & alia faciat, quæ facere tenetur quilibet bonus Pastor animarum. Item etiam, quod R. P. Provincialis præfatus, & successores ejus singulo anno in tempore Quadragesimæ deputabunt in ipso loco Cremolini unum sufficientem Prædicatorem pro salute animarum, & augmentent honorem devotionis hominum patriæ erga dictum ordinem.

Item, & quia homines Cremolini noviter ædificaverunt in ipso loco Ecclesiam unam sub vocabulo s. Benedicti, quibus locus duplicis facultatis adeo foret gravatus, & ultra dicti homines cum tribus annis decursis mirabiliter gravati fuerant pro fabrica Castri, nec finis adest eis, & necesse veniat campanilis fabricandus; contigeritque, quod quidem Frater Albertus de Incisa ordinis prædicti, qui ipsam Ecclesiam habuit in accomendam per annos octo in circa jam per annum diem suum clausit extremum, debendo iterum habere in dicto loco circa librarum 20. & R. D. Episcopus Diocesanus prætenderet talia credita ad mensam ejus fore devoluta, ex eo, quod processere ex redditibus dictæ Ecclesiæ; tandem requisitioni curati fuit contentus, quod ipsa credita, inter quæ est petia una prati dimittantur, & applicentur dictæ fabricæ.

Item quod si quæ legata relinquerentur in futurum dicto ordini de aliquibus immobilibus fitis super posse Cremolini, quod ipse ordo teneatur tales